

Ltc. 70.







D. CHRIST. AVG. CRYSII

OBSERVATIONES

DE

V S V

VOCABVLI NOMOS, LEX,

SIGILLATIM

IN EPISTOLA S. PAVLI AD ROMANOS.

SECTIO PRIMA.

PROPOSITA

IN ACADEMIA LIPSIENSI

DIE MEMORIALI REFORMATIONIS ECCLESIAE EVANGELICAE.

D. XXXI. OCTOBR. CIOCCCLXV.




 uum doctrina de iustificatione, h. e. de via et ratione, qua homines peccatores delictorum vitiorumque veniam consequi possint et debeant, praecipua religionis reuelatae pars sit, sine qua nulla reliquae cognitionis pars nobis prodesset, sed quaecum spes salusque omnis necessario copulata est: nihil magis dolendum est, quam quod de hac ipsa, quin etiam de hac inprimis, dissensiones inter eos sunt, qui Christiani vocantur. At satis constar, reformationem Ecclesiae, quae vocatur, quaeque ministerio b. Lutheri a Deo prouisa atque effecta est, cuiusque memoriam hoc anniuersario sacro pie recolimus, ab hac praecipue parte spectandam, hoc nomine celebrandam esse, quod de causis et modo iustificationis vera sententia restituta et vindicata est. Libet igitur in hac quoque tractatiuncula, quam inuitationi ad sacra eucharistica pie obeunda praemittimus, in praesenti potissimum eiusmodi expendere argumentum, quod ad partem euangelii principalem de iustificatione pertineat. Veruntamen non repetemus, quae in systematibus compendiisque theologicis de iustificatione dici solent et abunde dicta sunt, quaeque vel nota sunt satis, vel ex illis facile peti possunt, sed *sigillatim de vocabulo νόμος, LEX, eiusque usu in epistola S. Pauli ad Romanos*, nonnulla propterea obseruabimus, quod verbi huius, huiusque libri biblici, inprimis solet ratio haberi, quando super iustificatione hominis peccatoris coram Deo disputatur.

Scilicet accidit frequenter, vt legentibus epistolam S. Pauli ad Romanos locutiones quaedam obscurae videantur, quas nec intelligant satis, nec cum alibi in Scriptura dictis ita conciliare queant, vt nulla coactae interpretationis suspicio remaneat. De ipso quidem Ecclesiae nostrae dogmate cordati non facile ambigent. Nam in promptu sunt loca classica et perspicua, quae remissionem peccatorum ex mera gratia diuina, quae hominibus per Christum decreta est, credentibus, et propter hanc ipsam fidem, attribuunt, omneque operis humani meritum ab hoc negotio remouent. Enimvero concessis hisce non statim omnes, quae passim hac de re occurrunt, locutiones omnibus clarae sunt. Quibus quando aburruntur maleuoli, easque ad sui erroris patrocinium speciose trahunt; sit subinde, vt quamuis bonae mentes, quomodo expediant sese, non statim reperiant, ne vel cogantur concedere, poenitentiam et bona opera ad iustificationem pariter, h. e. eodem sensu et modo, necessaria esse, quemadmodum est fides adhibita gratiae Dei, quae in Christo Iesu obtingit, vel discrepantiam dictorum Scripturae inter se inuicem coacta interpretatione ad concordiam redigere videantur.

**KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE**



Nascun-



Nascuntur eiusmodi difficultates maximam partem ex eo, quod sensum verborum ex usu loquendi veterum, sensuumque varietatem et paronymias, figurasque dictionis, plocas et antanaclases, ut et τὸ εβραϊζανς in graecitate N. T. non satis assequimur, sed ex hodierno sermone significatus facillime obuios surrogamus, praesertim ubi non prorsus alieni sunt, sed nonnunquam reuera sic occurrunt, vel saltem id continent, quod praecipuum in causa est, quamquam certus considerandi modus, aut connotatum, qui simul spectari debebant, negliguntur. Ita enim facile efficitur, ut aptus verborum nexus non appareat, ut alterum alteri parum congruat, ingenio autem humano detur occasio inferendi in textum, quae nequaquam insunt.

In omni interpretatione recte commendatur, ut idem obseruemus, quod faciunt, qui picturam intuentur vel diiudicant, videlicet ut eam ex iusto visionis puncto contemplantur, utque in iudicando legitimum visionis punctum, ad quod pictura ordinata et expressa est, mente concipiant. Veluti ubi urbis prospectus exhibetur, comparebunt turrets et reliqua aedificia alio atque alio situ et ordine, prout ab hac vel illa mundi plaga oculis spectanda subicitur, errabit autem, vel picturam immerito reprehendet, qui oculum intuentem, cuius punctum visionis constitutum fuerat a parte occidentali, collocauerit in parte meridionali vel quacunque alia. Similiter quando loquitur quisquam, certam veluti regionem idearum intuentam exhibet animo audientis, et contemplantam illam quidem ex illo veluti visionis puncto, quo eandem spectat animus loquentis. Plus vel minus loquentem intelliget audiens, uti rem, de qua dicitur, ex hoc iusto visionis puncto intueri animoque complecti potuerit. Quibus modis id obtineatur, ex hermeneutica discendum est. Potestas verborum grammatica ante omnia recte tenenda, verbaque in nexu suo spectanda sunt. Sed et quidquid de dicentis persona, scopo, dicendi occasione, circumstantiis, doctrina et sententiis, aliunde constat, in subsidium utiliter adhibetur. Quod ubi non independenter a praesenti textu ex subsidiis externis iam constat, saepe ex ipso textu perspicue animaduerti potest. Nonnunquam etiam ἀρχιμοσις et sagacitate assequendum est, sumiturque primum ut hypothesis, quae recte ne an perperam sumta sit, convenientia cum textu vel discrepantia docebit. Inde fit, ut viua voce colloquentes se inuicem perquam facile intelligant, quoniam adiumenta ad formandum in animo audientis veluti legitimum visionis punctum ita expedita sunt, ut non facile errari possit, quum e contrario in legendis scriptis vnice attentionem et diligentiam meditantis desiderent, et insuper intelligentiam verborum grammaticam praesupponant. Sed plura de his in praesentia dici nihil attinet.

nari possent, ut satisfiat rudi et imperito, nedum iniquo, moroso, suspicioso. Agamus nunc, quod agere suscepimus. Operam dabimus, ut obseruationibus quibusdam perspicuis legenti epistolam ad Romanos adiumento simus ad notiones Apostoli, quas verbis expressit, animo recte complectendas, ideoque ad res expressas tanquam ex iusto visionis puncto considerandas. *Versabimur autem tantummodo in explicatione vocabuli νόμος, legis, atque in notando eius usu vsusque eleganti varietate.* Qua quidem re ad illustrandam doctrinam de iustificatione, cum in genere, tum quatenus ex hoc textu Paulino peti potest et debet, non contemnendum subsidium aequis mentibus allaturi videmur.

Atque etymologiae quidem vocis νόμος non anxie inhaerendum est. Constat enim, apud Iudaeos graece loquentes illud respondere ebraeo תורה, cuius usus ante omnia est in memoriam reuocandus. Nonnunquam itidem respondet Ebraeo חוק, מצוה et similibus, quoniam hae voces frequenter cum תורה permutantur, et promiscue ponuntur, quemadmodum ex Psalmo CXIX. abunde constat. Caeterum in longo textu, ubi, ut fit, variae verborum accommodationes, etiam per πλοκάς et ananaclasses, adhibentur, etiam omnes verbi usus, quotquot in lingua graeca occurrunt, aliquando locum reperire queunt, dummodo textui conueniant, vel textus eos postulet.

Quare cauendum est, ne, quando ad legendam epistolam ad Romanos accedimus, cum verbo νόμος, legis, statim et vbiuis coniungendam existimemus eam significationem, quam innuimus, ubi legem Euangelio contradistinguimus, quaeque propter recentiores controuersias, potissimum cum Romanensibus, nobis facillime in mentem venire solet. Attendendum potius est, quomodo deriuata haec et strictior acceptio verbi legis e primitiuo et vulgari eius significato nata sit et ducatur, quemadmodum plures eiusmodi significationes deriuatae occurrunt, commodeque et eleganter e communi fonte deducuntur.

Nempe νόμος lex Iudaeis dicitur Scriptura canonica, quatenus scripta extat, quippe quae תורה doctrina κατ' ἐξοχήν dicenda est. Dogmata, quae in ea continentur, vocantur ἐντολαί, praecepta, מצוות, siue fidei sint dogmata, siue morum; nam hoc quoque Dei praeceptum est, immo etiam princeps et praecipuum praeceptum, ut credamus in eum, ut fidamus eius promissis, ut eum, quem misit, agnoscamus ut missum a Deo, atque Deum sic honoremus, animum verbo Dei submittamus, dociles aures illi praebemus et per omnia obtemperemus. Fuerunt hae ἐντολαί τῆς Θεοῦ etiam antequam scriptae δινοπνεύτως extabant, sed postquam et quatenus in libris diuinis perscriptae extant, sensu excellentissimo doctrina Dei, תורה, νόμος, appellantur. Ideoque quoniam Scriptura

cano-

canonica initio per quatuor fere secula non nisi libris Mosis constabat; (excepto fortasse Iobi libro, si tamen ille iam tum inter Israelitas notus fuit. Nam certe publice praelectus non fuit, nec inter Mosen et Samuelem quidquam θεοπνεύτως scriptum esse, verisimile est ex Act. III. 24.) hi imprimis et speciatim dicuntur *lex*, seu *doctrina* statuta. Sed quemadmodum plures Canonis partes successiue per Prophetas additae sunt, quae cum Mosis libris, vt eiusdem *Dei oracula*, simul sumendae erant, ita etiam integer codex facer vocabatur *lex*. Hinc etiam *lex* et *oracula Dei*, νόμος καὶ λόγια τῆς Θεῆς, vt synonyma ponuntur, Rom. III. 2. coll. 31. In Sabbatis statae lectiones in synagogis praelegebantur, partim e libris Mosis, ita vt singulis annis absoluerentur, partim ex iis libris, qui dicuntur **נביאים** *Prophetae*, quique contradistinguuntur τοῖς **כתובים** *Scriptis*, h. e. iis, qui scripti in Canone extant, sed in Synagogis non per Sabbata praeleguntur, quorum primus et praecipuus est Psalmorum liber. Ad hanc Bibliorum partitionem respicitur, vbi seorsum mentio fit Mosis et Prophetarum, e. g. Io. I. 45. Luc. XXIV, 27. vel legis Mosis, Prophetarum et Psalmorum, Luc. XXIV, 44. Ordinarie autem simpliciter *Lex* allegatur, et innuitur Scriptura canonica, in qua etiam, quidquid in V. T. reperitur praeter libros Mosis, horum reuera continuatio est, et ad hos remittit, libro Iobi duntaxat excepto, qui in codice sacro extat vt monumentum consensus priscae religionis patriarchalis cum Israelitica.

Atque hoc ita esse, ex vsu loquendi V. T. nemini obscurum esse potest. Iuuat tamen e libris Euangelistarum exempla quaedam notare, vt tanto clarius cernatur, tempore Christi et Apostolorum hunc loquendi usum indubie obrinuisse, quo rite obseruato in Apostolorum scriptis cessabant multa loca, quae a plerisque inter vexata censentur. Matth. V, 18. promiscue νόμος dicitur, quod v. 17. νόμος καὶ προφήται. Sic quoque Luc. XVI, 17. coll. v. 16. Ioh. X, 34. citatur vt scriptum in lege: ἐστὶ γεγραμμένον ἐν τῷ νόμῳ ὑμῶν; quod extat Ps. LXXXII, 6. Populus allegat Io. XII, 34. tanquam auditum ex lege, ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα, quod, quoniam in libris Mosis nomen *Christi* seu *Messiae*, nondum vsu venit, sed demum a Dauidis tempore receptum est, et ad vetustiora illa nomina *Legati* seu *Angeli*, *Redemptoris*, *Prophetae* seu *Interpretis* et *Mediatoris*, *Legati in quo sit ipsum Nomen ipsaque facies Iehouae*, accessit, procul dubio capiendum est de Prophetis et Psalmis, e. g. 2 Sam. VII, Ps. LXXII, CX. et saepe. Io. XV, 25. Christus passionem a Iudaeis ἀναπολογητοῖς sibi iam imminentem euenire ait, ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος, ὁ γεγραμμένος ἐν τῷ νόμῳ αὐτῶν, ὅτι ἐμίσησαν με ὄψεσθαι, qui extat Ps. LXIX, 5. CIX, 3.

Sed inter Iudaeos post Maccabaeorum tempora, potissimum ultimo ante natum Christum seculo, et quod excurrit, pestilentissimi errores de persona et munere Christi per Phariseos inuecti erant, quibuscum Sadducaei, quamquam alias istis oppositi, in hoc errandi genere consentiebant. Longe maxima Iudaeorum pars de Christo errabant toto coelo, totum Scripturae scopum e conspectu amiserant. Iustitiam fidei, quae gratiae promissae, et in Christo quidem promissae, credit, non agnoscebant. Inde fiebat, ut in libris sacris nihil animaduverterent, nisi praecepta de seruandis officiis moralibus, et potissimum de cultu caerimoniali, iisque moribus et ritibus, quibus Israelitae a gentibus segregabantur. Lege autem illa rituali superbiebant, et singulariter delectabantur, tamquam bono Israelitis proprio, quod publicum electionis, et sanctitatis sui populi testimonium perpetuum esset. Neque enim tam molesta ipsis erat haec lex, ut nunc multis imperitis vel praepostere iudicantibus videtur. Nam praeter anniuersarium expiationis diem omnia festa et sabbata communi hilaritate suauiter agebantur, statim autem cultus nemini graues erant, quia sumtus ex aerario templi dabantur, ad quod viritum non nisi siculum dimidium singulis annis conferebant. Est vero consueta hominum peruersitas, ut malint cultu externo quam interno sancti et beati censer, malintque in illo etiam molestias ferre, quam animum et cupiditates mutare, tantum abest, ut ritus Mosaici, qui ad publice laetandum feriandumque et ad socialitatem alendasque suauiter amicitias comparati sunt, Iudaeis intolerabiles fuerint. His non obstat Act. XV, 10. ubi sublimior et magis abditus sensus spectatur. Quidquid molestiae in eo inest, quod Iudaei lege a consuetudine et conuictu gentium prohibentur, id compensabatur firma persuasione, id honoris causa ita fieri. Quid enim non perferunt homines, dummodo id fiat honoris causa, et coniunctum sit cum honore inter eos, a quibus cupias magni fieri? Sanctuarium igitur diuinum, cultusque publicos per sacrificia, sabbata, et quae sunt reliqua, Iudaei hi vnice interpretabantur tamquam honorem suae genti libero et gratioso Dei decreto tributum, tamquam excellentiam, quae genti suae competat electione diuina et foedere cum Patriarchis inito, per quod praerati sint omnibus gentibus, ut peculium Dei, ut populus sanctus, cuius sanctitas seruandis his praeceptis publice ostendatur atque teneatur. Rationem harum legum typicam, et prospectum, quem ad Christum dare debebant, prorsus negligebant et ignorabant. Peruertebant igitur promissiones de Christo, et ex praedictionibus de illo vnice fere iactabant eas, quae de regni eius gloria et de mundo ipsi subiiciendo, cum interitu idololatriae et obstinatarum gentium pernicie, agebant, quasque in Prophetis potissimum frequentes occurrere necesse est, quia calamitosissimis tempo-

tempo-

temporibus pii his promissionibus fuerant erigendi, et vniuerse Israëlitaë per illas contra idololatriam in toto terrarum orbe dominantem, et contra scandalum, quod ipsis gentium splendor et opulentia praebebat, praeseruari debuerant. Itaque opinionis errore talem sibi Christum effinxerant, qualem iptorum ambitio, inuidia, et dominandi cupiditas volebant, cui non hoc tribuebant, quod gratiam diuinam et remissionem peccatorum hominibus acquirat, resque in lege promissas, et modo verbis declaratas, modo imaginibus adumbratas, actu praestet et exhibeat, nam sancti iam sibi videbantur, sed qui Iudaeos in libertatem vindicet, gentes ipsis subiiciat, gentiumque idola et regna per Iudaeos destruat, eoque modo efficiat, vt Israëlitaë religio, quippe sola vnus Dei vera cognitio, per totum orbem habitabilem dominaretur.

*Legem* igitur, vt verum Dei verbum, Iudaei summa colebant reuerentia, sed plerique eam male interpretabantur, eiusque verum scopum nesciebant et negabant. Reuera igitur non sequebantur *suam legem*, non obtemperabant *doctrinae legis, Mosis et Prophetarum*, quae profecto aliam iustitiam non docet, quam quae in Christo est, quaeque mera et libera Dei misericordia credentibus per fidem obtingit, sed et homines facit verae virtutis studiosos, ab omni flagitio abstrahit, et ad officia Deo fideliter et ex animo praestanda reducit. Nihil itaque degeneres hi Iudaei exsculpebant ex *lege nisi praecepta de operibus humanis, τὰ ἔργα τῆ νόμος*, eaque suo more et ex suo ingenio explicabant. Atque non poterant non, ignorata vera Dei iustitia, ea male et superficialiter explicare, sed et insuper ipsa *opera legis cultibus electiis et iactatis maiorum traditionibus obruerant*. Quapropter gloriantes de lege legem non sectabantur, eamque partim ignorabant, partim ad sententiam prorsus alienam detorquebant. Non *legem* sequebantur, non libros Mosis, non Prophetas, sed mere et temerarie *τὰ ἔργα τῆ νόμος, opera legis*, quasi nihil in lege scriptum esset, nisi de operibus, et quasi lex vniquam iustitiam reuerentibus Deum aliter promississet, quam per gratiam diuinam, aut non testata esset, hanc gratiam in Seruatore diuino, qui in mundum venturus sit, obtingere, vel quasi vnicum exemplum in omnibus libris sacris obuiam esset, vbi homines Deo placentes iustitiam et spem suam in vlla re alia, praeterquam in gratia et misericordia Dei, quemadmodum promissiones de illa extabant, collocassent. Non igitur *legem suam* tenebant, sed duntaxat *opera legis*, non iustitiam volebant, quam lex testatur, sed iustificationem per opera humana, quam sinxerant praeter legem et contra illam.

Itaque Iudaei cogebant Apostolos ad distinguendam *legem vniuersam et legem, qua opera docet, iustitiam, quam lex testatur*, sed quae ex gratia per fidem obtingit, et *iustitiam ex operibus*. Atque sic strictior signi-

ficatio

ficatio legis extitit, et ex latiori illa ducitur, nempe ubi *lex* notat eam legis seu verbi diuini partem, quae et quatenus praecipit de operibus, quae hominibus praescripta sunt. Nimirum *lex late dicta* est tota Scriptura sacra, *lex strictius sumpta* est lex, quatenus de operibus praecipit. Hanc legis partem vnice agnoscebant et in mente habebant Iudaei peruersi et Christo oblucentes, attamen de lege Dei gloriantes. Nam detractis gratiae illius, quae in Christo est, promissionibus, nihil relinquitur de dogmatibus verbi diuini, nisi operum doctrina, ipsaque, quae in tradenda operum doctrina memoratur vel memorari potest, gratia Dei, non est alia, quam quae spectat ad opera ab homine praestanda, et vel hominem creat et instruit, vt operari possit, vel opera praestita exornat nouis beneficiis, et praemiis propositis remuneratur. *Per legem stricte dictam Iudaei saluari volebant, videlicet per legem moralem, quasi seruassent, per caerimoniam, quasi daret gratiam, non symbolice figuraret, quasi tolleret peccata, non admoneret de necessitate et decreto tollendi.*

Est sane ea cautio ab vnoquoque adhibenda inter legendas sacras literas, vt, quoniam homines in illis de peccato arguuntur, sed et gratia, et per gratiam restitutio, promittitur, animaduertat, quid in iisdem proprie pertineat ad praecepta de officiis hominum, a quibus defecerunt, sed ad quae redire debent, quidue ad doctrinam de gratia et salute peccatoribus decreta, deque eius ordine, sit referendam, et quousque vnaeque res ad vnum vel alterum, aut ad vtrumque, spectet; nam idem etiam ad vtrumque diuerso respectu pertinere potest. Hoc pacto *tota Scriptura* a prudenti lectore *dispersitur in legem et Euangelium, tanquam in partes, non integrales, sed qualitate et essentia diuersas*, cuiusmodi sunt quas philosophi suo loco appellant partes physicas, qualitatiuas, essentiales. At vero maxime necessarium est, vrgeri hanc Scripturae S. partitionem, quando occurrendum est erroribus eorum, qui fingunt homines peccatores per sua ipsorum opera iustificandos, negligentes iustitiam Dei, atque etiam gratiam eius, quam modo a nemine excogitando peccatoribus decreuit, dummodo consilio diuino animum submittant, h. e. credant, et credendo obtemperent. Recogitemus exemplum ipsius Christi sic disputantis. *Persecramini, inquit, Scripturas, (τὰς γραφὰς synonymum τῆς νόμου) quoniam vobis videmini in illis vitam aeternam habere, (putatis, in illis iam omnia inesse, et earum ope a vobis possideri, quae faciant ad impetrandam vitam aeternam) sed illae testantur de me (id agunt, ad hunc scopum vniuersae tendunt, vt testentur de ME;) nibilo minus non vultis venire ad ME, vt vitam haberetis (vitam illam, de qua testantur, quamque vos in Scripturis habere tantummodo eatenus recte statuitis, si agnoscatis, de me scriptum esse, a me parari et tribui salutem illam et vitam aeter-*

aeternam,) Ioh. V, 39. Quamobrem nemini mirum esse potest, quod in Apostolorum scriptis verbum *lex* modo sumitur pro *tota Scriptura sacra*, e vulgari vsu loquendi, modo pro *doctrina operum*, quae ab hominibus peragenda sunt, quia his contradistinguitur gratia peccantibus promissa, nec non quia immorigeri aghitionem eius in Iesu Christo detrectabant, ideoque, sublata gratiae doctrina, de dogmatibus Scripturae nihil relinquebant, nisi operum doctrinam, siue opera legis, fingendo iustitiam ex operibus legis.

His positis, quae haecenus breuiter monuimus, reliquae vsurpationes vocabuli *lex*, quae synecdochicae, metonymicae, vel quocunque modo translatae sunt, non solum facile intelliguntur, verum etiam a priori perspicitur, quod bene, eleganter, et sermoni humano congrue, formentur. Pleraque, quae huc spectant, ita omnium linguarum analogiae consentanea sunt, vt vix opus sit, speciatim de talibus rebus admonere. E. g. *lex* omnis (late vel stricte sumpta) *disponit et tribuit*, declarat, qualem loquens *dispositionem rerum* velit, quid tribuat cuius, quod teneat, obseruet, habeat, graece autem νόμος etiam a *tribuendo* et *ordinando* dicitur, ex quo plura coniugata sequuntur, veluti δινονομεῖν, ἐνονομία. Quare mirari non licet, sicubi *rerum constitutio a Deo facta*, siue vniuerse, siue sigillatim constitutio sub veteri vel nouo testamento, quasi cerra Dei *oeconomia*, νόμος appellatur. Sic Iacobus naturam et indolem Euangelii (pro tota doctrina Christi, postquam venerat et consummatus est, sumti) vocat νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας Iac. I, 25. II. 12. *dispositionem rerum perfectam* (in oppositione νόμος prioris, qui nihil confecit, sed futurae consummationis admonitio, pignus et umbra erat, Ebr. VII, 19. VIII, 5. IX, 8-10, X. 3.) *quae est libertatis* (quae non, vt prior illa, iugum feruile imponit, sed veram tribuit libertatem,) quod inprimis decet ita dici a Iacobo, qui Ecclesiam Hierosolymitanam regebat, aptissimeque phrasi Hierosolymitanis familiari vtitur. Sunt tamen etiam aliqua *ex idiotissimo Ebraei sermonis* in stilo sacro sigillatim tenenda et obseruanda. Quo ex genere duo duntaxat in memoriam reuocabimus.

Primum sermo Ebraeus singulariter delectatur profopopoeiis, quarum multae quidem illi cum hodiernis linguis communes sunt, est enim expeditum dicendi genus per aptas profopopoeias, ideoque inter omnes gentes perquam vsitatum, sunt tamen etiam propriae quaedam Ebraeis dictiones, quemadmodum recentiores quoque linguae suas quaelibet proprias translationes et profopopoeias frequenter habent. Veluti in priori genere exempla sunt, quod tamquam personae inducuntur mors, coelum, terra, abyssus, bellum, corpus humanum, eiusque membra, cor, oculus, auris et sic porro. E posteriori genere et Scripturae magis aut prorsus proprio sunt quod personarum instar repraesentantur infernus, maledictio, gladius Dei, iustitia, regnum Dei,

ira Dei, misericordia, iudicium, vita, et plura alia. Iam notari volumus similem ob causam per prosopopoeiam induci *legem*, iustitiam ex lege seu ex operibus, iustitiam ex fide, gratiam, peccatum, legem peccati, legem Spiritus, et quae eiusmodi sunt. Nihil alienum a more dicendi humano reperitur in talibus phrasibus, sed non parum inest elegantiae. Modo, quae locutiones linguae sacrae ferme propriae sunt, curate obseruandae, nec nisi ex usu biblico explicandae sunt. Contra falluntur, qui ob tales idiotismos sacris bibliis genus dicendi tumidum, nisi etiam dithyrambicum, inepte et impie adfingunt. Per tropos et translata omnes linguae loquuntur, in quo dicendi genere formaliter omnes consentiunt, nempe causas et regulas habent easdem, sed differunt materialiter, scilicet materia, qua utantur potissimum, vnde translationes depromant. In his sane necesse est varietatem nasci, quia ingenium terrarum, religiones, scientiae, artes, inter gentes differunt, at tropi et translationes a rebus obuiis et notis repetuntur. Cogitent, qui in his rebus aliquid vident, an hodiernae linguae occidentales minus ingeniose ludant tropice et figurate dictis, quam veteres orientales, nisi quod materia saepe discrepant. Sed sordent multis nostratium, quaecumque non sapiunt vel graecos et latinos vel gallicos lepores, etsi non minus habent venustatis, nonnunquam etiam plus venustatis et grauitatis. Qui nunquam vidisset Christianas gentes, attamen fando percipisset, eas sapere et spem vitae aeternae concipere e libris, quos pro diuinis habeant et colant, persuaderet sibi, opinor, inter Christianos nullum literarum studium communius esse, quam vt linguas ediscerent eas, in quibus libri diuini scripti sunt, eosque libros non modo in vita et sententiis, verum etiam in dicendi genere sequerentur, idque sibi laudi et honori ducerent. Videlicet hoc existimationi de oraculis Dei, et amori erga Deum et Salvatorem, Filium Dei, congruum esse, a priori intelligeret. Sed eheu! quam falleretur, qui sic colligeret! Plerisque, qui elegantes, belli, ingeniosi esse volunt, nihil tantopere sordet, quam dictio biblica, nescio an propterea, quod verbum diuinum parum diligunt, quodque libentius legunt libros, vnde pascantur cupiditates carnales et sensus animi profanus, quam textum sacrum, qui perpetuo admoneret de officiis diuinis. Nam crebro legendo idiotismum sacri sermonis discere deberent, quemadmodum legendis auctoribus, quos cupiant imitari, adsuescunt hos sequi. Quidquid sit, dolendum est, quod ita sit, vt textus sacri a multis ne intelligantur quidem, vel vt in eorum intelligentia multi tardissime progrediantur. Ex quo porro consequitur, vt subinde probentur nouaturientes et superficialii interpretes, qui moleste seduli sunt, vt lumen textibus subtilitate affundant, qui nullo egent lumine, dummodo linguam et sermonis sacri consuetudinem perspectam haberemus. Aliud consequens est, et molestius illud, quod difficultates

res, quae nascuntur ex neglecto et ignorato filo Scripturae, deinceps transferuntur ad palliandos errores, qui, ubi e propriis et domesticis causis nati, sed per hierarchiam consecuti sunt auctoritatem publicam, et vi armisque et suppliciis defenduntur, speciose confirmantur per eiusmodi textuum detorsiones, quae nullam veri speciem haberent, si idiotismi linguarum satis noti essent. In quo genere non possumus non statim cogitare de controuersis Protestantium cum Romanensibus. Etenim Romanenses in iis rebus, quae coetui illorum propriae sunt, ita ab omnibus argumentis destituti sunt, vt saepe dubitauerimus, an ex iis, qui contra nos scripserunt, vnquam aliquis fuerit deceptus conscientia erronea, nimirum an quisquam id fecerit bona fide et ex vera animi sententia, non simulate et per ambitionem, studium placendi, opinionem necessitatis ob rationes politicas, et quae sunt eiusdem generis alia. Nam, vt hoc vtar, quoniam vocem *vōmos* ad illustrandam epistolam ad Romanos et iustificationem peccatoris coram Deo, iam consideramus, an credibile est, qui confutare Augustanam confessionem susceperunt, id fecisse, quod putarent, se per argumenta cogi ad sic statuendum, nec longe aliis de causis sic pronuntiasse? Nam, vt recte dixit in apologia nostra Phil. Melancthon, \*) ipsam vocem Euangelii, communem Mosis et Prophetarum, Iesu Christi et omnium Apostolorum vocem, doctrinam, pro qua clamat Scriptura integra, eamque in confessione nostra breuiter, sed profecto dilucide, propositam, refutare aggressi sunt ratiunculis tam stramineis, ineptis, contortis, vt fere cogamur suspicari, eos non serio et ex animi sententia dixisse, quod dictum in Scriptura putarent, sed conscribillasse, quod putarent scribendum, quodque esset e re illorum, qui ipsos ad refutandi officium delegauerant, nisi malimus eos admodum inspidos praecipitesque in iudicando existimare. Nostros quidem studiosos saepe solemus ad notum Basil. Fabri Lexicon, vel ad Gesnéri Thesaurum latinae linguae ablegare, qui libri, ubi reuoluas vocabula *mereo, meritum, satisfactio etc.* abunde satis sunt ad intelligendum, quanta fuerit in Scholasticis barbaries et inscitia, quantum ignorauerint verborum e versione vulgata, e Patribus latinis et vetustis hymnis potestatem, quum eorum verba de *merendo* aut *satisfaciendo* ad confirmandos sui temporis errores traduxerunt, quin etiam ad eos in formam artis redigendos, vt distingui possent meritum de congruo et condiguo, meritum supererogationis, praecepta et consilia euangelica, satisfactionis imponendae vel praestandae regulae et genera, vis Missarum, supplicationum, eleemosynarum, pro mortuis, et quae reliqua sunt. Dico, qui verborum vim et vsum capiat, ei ne in mentem quidem venire potuisse, veteres id cogitasse adhibitis certis verbis, quod feruntur statuisse, postquam certi errores, e suis quisque causis, nati et in Ecclesiam inuecti, alle-

B 2

gandis

\*) Apol. Aug. Conf. pag. 186. 210. 231. etc. 279. 283. edit. Rechenberg.



gandis eorum verbis videntur stabiliri. Nam v. g. qui de Martyre, vel quocunque pio, dixerit, *meruisse* eum ad conspectum Dei admitti, an magis existimari potest de *merito*, quod nunc dicitur, cogitasse, quam qui cecinit: o felix Adae peccatum, quod talem *meruit* habere redemptorem?

Secundum, quod in usu verborum biblico diiudicando, praemoniti loco inculcandum esse auctuimus, in eo positum est, quod *Ebraei genus dicendi multo pressius et concisus amant, quam aliae gentes*, quarum lingua studio grammaticorum et rhetorum magis culta existimatur, certe ad copiosius et verbosius dicendum comparata est. Quo fit, ut, qui talibus linguis vnice adfuetus est, desideret in Ebraeo sermone, similiterque in Graeco sermone N. T. qui illum sequitur, subinde perspicuitatem, nempe quia non omnes adiectiones, adiectiua, particulae, sigillatim aduerbia, exprimuntur, ideoque, ut ipsi quidem videtur, indeterminate dicitur. Sed tales adiectiones, vbi e contextu intelligi poterant, Ebraei solent legentium attentioni committere, idque legendis libris sacris facile et sexcenties obseruatur. Neque etiam recentiores vbiuis propterea clarius et determinatius loquuntur, quod plures adiiciunt determinationes, quippe quod fit per temporum et flexionum varietates, per adiectiua, particulas, vel per phrasas certas. Licet enim his subsidiis oratio determinatior fieri possit, fiatque suo loco, neutiquam tamen id semper contingit. Nam plerumque ponuntur otiose et propter consuetudinem sic loquendi. Audias, quaeso, narrantem rem gestam inter nostrates. Obseruabis, narrationem in praesenti, in praeterito quocunque, in futuro, continuari, non tamen quod determinatis his temporibus determinatum tempus exprimere animus sit, sed variandi sermonis causa. Qui cogitando transfulerit eiusmodi narrationem in Ebraeorum dicendi genus, sentiet, secundum horum consuetudinem multo breuius et indeterminatius narrandum fore, sed idem reuera narrari. Quam obseruationem nunc eam ob causam teneri velim, ut intelligatur, *in vertendis verbis V. et N. T. subinde ab iis, qui clare et more gentis suae loqui velint, addendum esse aliquid, veluti verba potentialia, item aduerbia, nonnunquam adiectiua, non quod sic mutetur textus, aut falsetur, sed ut ingenio hodiernarum linguarum accommodetur.* Fateor, in tali interpretatione, quoniam aliqua paraphrasis inseritur, ab imperito, incurio, maleuolo, facile errari, et in textum aliquid inferri posse, quod in eo neutiquam inest. Exinde autem plus non sequitur, nisi *solicite cauendum esse, ne quid textui temere inferas*, dandam vero operam esse, ut, quod Ebraei paucioribus verbis exprimunt, accommodate ad ingenium hodiernarum linguarum dilucides adiecto supplemento verborum, quo vti solet lingua hodierna, sed vetus illa caret sine obscuritate. E. g. quando dicitur Matth. XI, 13, πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννη προεφήτευσαν, patet, aliquid supplendum esse: omnes

Pro-

Prophetae (stricte dicti) *ipsaque* lex (libri Moſis) praedixerunt uſque ad Iohannem (a quo ipſum N. T. implementum incipit; aut, ſi mauis, ſic: omnes Prophetae ſiue ſcripſerint, ſiue non) atque *etiam vniuerſa* lex (Scriptura canonica vniuerſa, quemadmodum ſcripta extat) etc.

Iam ipſam epiſtolam Pauli ad Romanos perlutremus, vt per inductionem locorum appareat, quomodo et quot modis verbum *νόμος, lex*, accipiatur. Nimirum ipſam ſermonis Apoſtoli compagem obſeruemus, vt intelligatur, qualis verbi *νόμος* acceptio cuilibet loco conueniat. Conſtat enim inter omnes, vocem *νόμος*, quae varie uſurpatur, quoties occurrit, ex contextu interpretandam eſſe. Non haec vel illa ſignificatio, quae inter plures verbo competit, alicui textui obtrudenda eſt, ſed obſeruare decet, quanam cuilibet loco per contextum congruat. Idem ſit in omni vita communi, et hac proſecto ratione, nec vlla alia, in uſu vitae communis nos mutuo intelligimus. Quam regulam ſi quis ſequi nolit, ubi Deum ſermone humano nobiſcum in libris ſacris loquentem audire debet; aut iniquitatis et *ἀπίſτίας* crimine ſeſe obſtringit, aut admodum imprudens ſit, praecipue in iudicio feratur, neceſſe eſt.

Paulus epiſtolam ad Romanos Corintho ſcripſit, antequam eos praeſens inuiſerat. Cupiebat fidem eorum, cuius laus per omnes, quas peragrabat, prouincias percrebuerat, et confirmare, et vberius inſtruere, propterea quod munus docendi gentes per partes Romani imperii ipſi ſingulariter demandatum erat. Quare etiam excuſat hoc ipſum, quod facie ignotus epiſtolam ſcribat, nec potius ipſe veniat, vel dudum ad eos venerit, vt peramanter et graui de cauſa hoc ita fieri ſentirent, C. I, 8-15. XV, 14-24. Quam ob cauſam etiam in hac epiſtola non ſpeciale aliquod argumentum tractat, ſed ſummam Euangelii, qua dogmata fidei et morum, atque etiam qua oeconomiam, quatenus ad Iudaeos et gentes pertinet, ita vt, quae Prophetae de iis praedixerunt, ſingula ordine euenire oporteat. Summam dicendorum ſtatim indicat C. I, 16. 17. *Euangelium Chriſti eſt diuina potentia in ſalutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco. Iuſtitia enim Dei in illo manifeſtatur ex fide in fidem*, i. e. vt ex parte hominis, qui eius iuſtitiae particeps eſſe velit, non proprium requiratur meritum, ſed vnice fides, quae illi certo ſaluti erit. Statim nunc accedit ad pertractandum hoc argumentum, agitque primum de iuſtitia Dei in Euangelio oblata, cur ex fide ſit, nec aliter niſi fide homini obtingere poſſit, Cap. I, 18-IV, 25. Deinde explicat, quanta ſalus et quam diuina potentia ſit in Euangelio Cap. V, 1-VIII, 39. Tunc, quemadmodum inſtituerat, reſtabat dicere de omnibus credentibus, ſcilicet de hominibus, quibus deſtinatum eſt Euangelium, nempe de Iudaeis primum et gentibus, quod ſit, C. IX-XI. Theoriae ſic propoſitae ſubiungit hypomnemata practica, quae partem epiſtoiae alteram efficiunt, ubi ruruſus primum officia Chriſtiana vniuerſe traduntur C. XII. XIII. et de ſalute, cuius cauſa ita verſari deceat, admonetur, C. XIII, 11-14. poſtea de copulatione Iudaeorum et gentium praecipitur, C. XIV-XV, 13. Dixi,

Dixi, Apostolum ab hoc ordini tractationem, vt planum faciat, humani generis statui non aliam conuenire iustitiam, quam qualem docet et offert Euangelium Christi. Principio igitur corruptissimum statum gentium depingit, in quem propter neglectam Numinis reuerentiam iusto Dei iudicio prolapsae sint C. I, 18-32. Nimirum tantam impietatem, tanta flagitia si Deus in hominibus aequabiliter ferret, quomodo ipse sanctus et iustus foret? Nihilominus gratiam et salutem illis decreuit et per Euangelium offert, sed eiusmodi, quae abunde doceat, quantopere perditis gentium moribus irascatur C. I, 18.

Inde transit ad arguendos Iudaeos, nempe eos, qui Euangelium repudiabant, veruntamen sine illo sibi videbantur Deo placere et de eius gratia certi esse posse. Vbi notandum est, hos homines etiam inuidisse gentibus, quod per Apostolos ad communem cum Israelitis spem erigerentur, quam ob causam Apostolus sermone suo immiscet, quae faciant ad pungendos inuidos illos, idque primum teste facit, eoque modo viam sibi parat ad apertius deinceps pronuntiandum. Pergit Apostolus per particulam *διὸ propterea*, in cuius locum non est surrogandum *ὁμοίως*, quasi diceret, quemadmodum de peccatis arguerat gentes, *similiter* quoque inexcusabiles esse Iudaeos. Nam oratio flectitur sane ad Iudaeos, quamquam non statim expresse nominandos, sed dicere vult, *eandem ob causam* propter quam gentiles rei sint et irae Dei obnoxii, etiam Iudaeos, quotquot Euangelium non assequantur, vel contemnere pergant, eiusdem iudicii diuini reos esse, tametsi legem iactare et gentiles damnare soleant. Nam quod in aliis reprehendunt, ipsimet committunt, v. 1. attamen certum est, Deum iudicare secundum veritatem, v. 2. idque sine *προσωποληψία*, v. 3. Longanimitati diuinae tribuendum est, quod Deus contumaciam Iudaeorum non iam iam vltus est, v. 4. 5. Sed olim cuius retribuet secundum opera sua v. 5. 6. Scilicet iis, qui bene egerint et in eo perseuerauerint, decreta est vita aeterna v. 7. (*Ἔργον ἀγαθόν* h. l. dicitur, quidquid recte fit, idque vniuersè et complexe iam spectatur. Quare *ἔργον ἀγαθόν* h. l. ne confundatur cum *ἔργοις νόμου* Cap. III, 20. Illud enim latius patet, et innuit electionem boni cum constantia, non sola opera legis, verum imprimis quoque fidem verbo et promisso Dei habendam, quippe quae praecipue est *τὸ ἔργον τῆς Θεῆς*, Io. VI, 28. 29. Expressione generali iam Apostolus prudenter vtitur, et principio non memorat de via salutis, nisi quod ab omnibus aequè conceditur. Quis enim negare aufit, non nisi recte agentes bonumque constanter tenentes Numini placere posse? Dissentiebant Christiani, Iudaei, gentiles de eo quod bonum rectumque sit in religione. Sed recte constanterque agendum esse, cuncti fatebantur, a quo igitur concessio Paulus prudenter petit introitum in causam suam, atque animos praeparat, vt postea, vbi specialiora exposuerit, agnoscant veritatem Euangelii, de quo solo vere dici potest, quod iam omnes concedere necesse habuerant.) E contrario male agentibus,  
et

et praecipue contentiosis veritatis obtrectatoribus, (quibus verbis Iudaeos obstinatos pungit) decretum est, vt iram diuinam experianrur, v. 8. 9. In vtroque genere, siue quis recte agendo ad vitam perueniat, siue male agendo efficiat, vt damnetur, primae partes Iudaeis debentur, nec tamen exclusis gentibus v. 9. 10.

Iustum illud Dei iudicium, cuius mentio facta erat, nunc Apostolus vberius explanat. Repetit negationem *προσωποληψίας*, v. 11. ex quo consequitur, vt, quoniam Deus certissime et verissime iudicabit, omnes damnentur, demta gratia Iesu Christi. Gentiles enim a lege naturae, Iudaei etiam a verbo Dei scripto damnabuntur, v. 12. Notetur, *νόμον* h. l. totam Scripturam S. denotare, quae prima et vfitatissima verbi significatio est, a qua non est cur recedamus, praesertim quum alias certum sit, contemptum Euangelii atrocissimum et grauissime vlciscendum delictum esse. Ipse Christus Iudaeos ipsi non credentes olim ait Mosis accusatione damnandos fore Io. V, 45-47. conf. Deut. XVIII, 19. *Ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἤμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολένται· καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἤμαρτον, διὰ νόμου κριθήσονται*, i. e. quotquot non habentes verbum Dei scriptum peccarunt, etiam non adscito verbo scripto peribunt: et quotquot habentes Scripturam S. (eatenus enim Israelitae dicuntur *ἐνομοί*, siue *ἐν νόμῳ* esse; alia phrasis est delinquere *εἰς τὸν νόμον*) peccarunt, per Scripturam S. iudicabuntur. Aequitatem rei Apostolus statim vindicat v. 13-15. dictis per parenthesis, qua finita v. 16. pergitur de iudicio diuino, quale, quodque per Iesum Christum futurum sit.

Bene tenendus est locus ille communis, quem Paulus tradidit, qui peccarunt siue verbo Dei reuelato, perituros esse sine illo, qui deliquerunt habentes verbum diuinum, per illud iudicandos esse. Vtinam eum rectius expendere, qui intempestiue liberales sunt in salute gentilibus attribuenda! Nam secundum eorum placita Paulus dicere debebat: quotquot peccarunt non habentes verbum diuinitus reuelatum, tamen saluabuntur sine illo. Sic sane multi nunc sentiunt, vt per crassissimum Syncretismum, aut per merum Naturalismum, vel sic dictum Deismum, omnes religiones, quin etiam profanitatem cum religione, perinde habere possint. De salute eorum, qui verbo diuino sine sua ipsorum culpa destituti fuerunt, et in eius ignoratione inuincibili vitam transegerunt, longe alia quaestio est. Quis tacente Scriptura certum quiddam de ea definire audeat? Omnis enim spes, quam de eiusmodi hominum salute conceperis, ab hoc pendet, vt vel gratiam extraordinariam illis obtingere putes, vel ponas, eos habuisse animum, qui verbo Dei libenter credidisset, dummodo illi innotuisset, eamque ob causam dispositionem animi credituri, tanquam fidem in actu primo, pro fide a Deo acceptari. Atque hoc ipsum amplius non nisi hac conditione ponendum foret, vt, quisquis saluatur, tamen per gratiam Christi saluetur, ignoratam ipsi quidem, attamen ad ipsum decreto Dei pertinentem, neutiquam per religionem naturalem, nec non ea lege, vt simul ponas, talibus homi-

hominibus multo minora seculi futuri bona destinata fuisse, quam reliquis, quibus verbum Dei datum fuerat, idque libero Dei decreto, qui bona sua pro lubitu distribuit, cui nemo praescribere potest, cui nemo quidquam dedit, quod retribuendum sit. Fateor, his restrictionibus tales opinionationes ferri posse, vt reliquas possibilitates metaphysicas. Concedo, sic fieri posse, et fortasse sic fieri, saluo Euangelio. Facile finguntur eiusmodi homines; ah reuera sint, euinci non potest, multo minus quod frequentes sint. Quid enim, si Deus, qui sane omnia praeuidet, omniumque animos peruidet, hominum *yeveas* ita ordinasset, vt, postquam priscorum hominum culpa religio reuelata alicubi interiret, ideoque ad ipsorum posterios ignorantia inuincibilis fluxit, consecutio earum generationum praedeterminata sit, in quibus nascuntur homines, qui omnes sunt, vt nostrorum quoque hominum plerique sunt, scilicet immorigeri, profani, hypocritae, superstitioni, flagitiosi, qui non obtemperarent verbo diuino? Quid ergo? Si hominibus, quorum insuperabilem peruicaciam Deus praeuidit, verbum Dei datum non fuit; non duriter illi habentur, sed lenius. Caueretur enim, ne maiorem culpam contrahant; caeterum tamen pereunt, luuntque minorem illam, quam meruerunt, poenam. Quamobrem Scriptura S. illis ferme negata fuit, quemadmodum clementiae Principis est, non admittere ad secreta sua hominem loquacem et venalem, non committere pecuniam publicam improvido vel heluoni, ne deinceps propter perfidiam ad supplicium rapiendus sit. Cogitet pius lector, annon talis cogitatio conformior sit dicto Paulino, perituros sine Scriptura S. qui sine ea peccarunt, sed per eam condemnandos esse, qui eam habentes immorigeri fuerunt. Peius itaque pleantur, qui viuentes in Ecclesia pereunt, quam qui extra eam.

Sed liceat hac vice propter praescriptos tractationi nostrae cancellos hoc loco subsistere, eiusque continuationem proxime publicando programmati reseruare. Iam agamus, quod sanctitas et solennitas diei a nobis poscit, cuius causa scripsimus, diei nempe XXXI. Octobris, qui sapienti Electorum Saxoniae instituto Reformationis Ecclesiae memorialis est, reliquisque pietatis et grati animi exercitiis, quae memoria restituta a Deo ministerio b. Lutheri puritatis integritatisque veri Euangelii imperat, adiungamus more consueto sacra eucharistica *solemni oratione in aede Paulina post auditam horam XII.* celebranda. Habebit eam V. Cl. AVG. WILH. ERNESTI, A. M. iamque designatus Eloquentiae in hac Academia Professor publicus extraordinarius, vir doctissimus nobisque percarus, orator autem elegans et facundus, et disciplina S. R. Patru sui, Collegae nostri carissimi, prorsus dignus. Dicit de magnitudine beneficii diuini, quod in eo est, quod opus reformationis Ecclesiae exers periculorum esse noluit. Ad quem audiendum vt frequentes beneuole conueniant, ILLUSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, cunctos rerum nostrarum Fautores, Cives denique academiae generosissimos nobilissimosque, officiose et peramanter inuitamus, rogamus. P. P. Lipsiae Dom. XXI. p. Trin. A. N. C. C. I. D. I. D. C. C. L. X. V.

EX OFFICINAM LANGENHEMIL



Fe 3031

S

ULB Halle


3

005 217 547



W W 18 A. C.





D. CHRIST. AVG. CRYSII  
OBSERVATIONES  
DE  
V S V

VOCABVLI NO  
SIGILLA  
IN EPISTOLA S. PAV

SECTIO P  
PROPOS  
IN ACADEMIA  
DIE MEMORIALI REFORMATIONIS  
D. XXXI. OCTOBR.

